



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**COLLATIO-||NVM SACRARVM|| LIBRI VIII.|| Tilmanni
Bredenbachij S. Th. D.||**

Bredenbach, Tilmann

Coloniae Agrippinae, 1592

VD16 B 7378

10. De Martiali gentili, qui infirmus cum Baptismum & fidem Christianam repudiaret, per generi sui orationes apud memoriam sancti Stephani deuote fusas, Baptismi gratiam magno cum desiderio percepit.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65002)

Augustinus ibidem de Martiali gentili, qui infirmus cum baptismum & fidem Christianam repudiaret, per generi sui orationes apud memoriam S. Stephani deuotè fufas, baptismi gratiam magno cum desiderio percepit.

CAP. X.

Fuit ibi vir in ordine suo primarius, nomine Martialis, æuo iam grauis, & multum à religione abhorrens Christiana. Habebat sane fidelem filiam, & generum eodem anno baptizatum. Qui cum ægrotantem multis & magnis precibus & lachrymis rogarent, ut Christianus fieret, profusus abnuir: eosque à se turbida indignatione submouit. Visum est genero eius ut iret ad memoriam sancti Stephani, & illic pro eo quantum posset, oraret, ut Deus illi daret mentem bonam, qua credere non differret in Christum. Fecit hoc ingenti gemitu & stetu, & synceritè ardente pietatis affectu: deinde abscedens aliquid de altari florum, quod occurrit, tulit: eique cum iam nox esset, ad caput posuit. Tunc dormitum est: & ecce ante diluculum clamat, ut ad Episcopum curreretur, qui mecum fortè tunc erat apud Hipponem. Cum verò audisset eum absentem, venire presbyteros postulauit. Venierunt, & statim se credere dixit: admirantibus atque gaudentibus omnibus, baptizatus est. Hoc quam diu vixit, in ore habebat: Christe, accipe spiritum meum: cum hæc verba beatissimi

Sic



Stephani, quando lapidatus est à Iudæis, vltima fuisse nesciret: quæ huic quoque vltima fuerunt. Nam non multo post etiam ipse defunctus est.

Augustinus ibidem de tribus mortuis per inuocationem S. Stephani protomartyris, resuscitatis.

CAP. XI.

A Pud Hipponem, Bassus quidam Syrus ad memoriam eiusdem martyris orabat pro ægrotante & periclitante filia, eoque secum vestem detulerat: cum ecce pueri de domo cucurrerunt, qui ei mortuam nunciarent. Sed cum, orante illo, ab amicis eius exciperentur, prohibuerunt eos illi dicere, ne per publicum plangeret. Qui cum domum redisset, iam suorum eiulatibus personantem, & vestem filia quam ferebat, super eam proiecisset, reddita est vitæ. Burtus ibidem apud nos Irenæi cuiusdam collectorij filius, ægritudine exstinctus est. Cumque corpus iaceret exanime atque aliis gementibus, & plangentibus, exsequiæ pararentur, amicorum eius quidam inter aliorum consolantium verba suggestit, vt eiusdem martyris oleo corpus perungeretur. Factum est, & reuixit. Itemque apud nos vir tribunitius Eleusinus super memoriam martyris, quæ in suburbano eius est, ægritudine exanimatum posuit infantulum filium suum: & post orationem, quam cum multis lachrymis ibi fudit, viuentem leuauit.

Augu-